

cellis respectu Prælatorum prædictorum Ordinum. Sic habetur in lib. Monumenta Ordinum in. 1. impressione. fol. 105. & in Supplemento fol. 118. Concessione. 483.

PROFRATRIBVS MINIMIS.

46 ¶ Sanctissimus Ordo Minimorum ex privilegio Pij. 5. inter Mendicantes connumeratur. Qui Pius. 5. ait, q̄ omnia & singula privilegia immunitates exemptiones facultates, gratias libertates, indulta, & alias gratias, tam per eum nuper, quàm per quoscūq; Romanos Pontifices prædecessores suos, & Sedē eandē quomodolibet Mēdicātibz Ordinibus cōcessa, ad præfatum Ordinē Minimorum de nouo extendit & ampliauit, ipsosq; vere Mēdicātes esse, & sub Mendicantiū Ordinibus esse, & cōprehendi debere. Nec non omnia, & singula Concilij Tridentini decreta pro Mendicantiū Ordinibus declarata, & modificata, etiam pro Ordine Minimorū huiusmodi declarauit & modificauit. Ita habetur in dicta Bulla, quę originaliter continetur in libro Constitutionum Pōrtificalium, inter constitutiones Pij. 5. Quadragesima octaua in ordine, pag. 1001.